



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Fabri epistola consolatoria ad dispersos Socios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

rum Cœnobium excitaretur. Tum boni Tyrones, creditam sibi stationem ne desererent, præoptarunt triste dissidium: quamquam crebrò inuicem reuisebant, ac solabantur. Accepère & à Fabro fabri epistola consolatoria ad dispersos Socios. Vallisoletto datas, nono Iulij die voluentis seculi, anno 45. his verbis. In fasciculo, quem misistis, fuit quoque epistola, quam Petrus olim noster, nunc verò iam non suus ad me scripsit. Legimus omnes, & relegimus cum maximo animorum nescio an dicam moerore, an gaudio. Quis enim non lugeat, quod vobis, qui vnum estis, istuc non licuerit in vna domo habitare? Quis non fleat, quod vos soli iudicemini indigni vnum corpus dici posse, qui vnam animam, & vnum cor habere probati estis? Ridet, & dolet spiritus meus, cùm video vos tolerari separatos, non posse autem sustineri vnitos, quasi meliores sitis diuisi, quàm in vnum collecti. Lubens dicerem his, qui vos conturbant, aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, aut facite eandem malam, & fructus eius itidem malos. Sed locus nō est omni veritati, vbi non est locus vnitati vestræ. Sit benedictus Deus, qui vos in vnum habitare facit etiam corpore seiunctos: cuique, vt bene speratis mecum, cura erit

ræ erit dispersiones Israël congregate. In hoc ego
 gaudebo videre constantiam vestram, & gaude-
 bo videns, quod Magister Lambertus istinc nulla
 ratione potuerit auelli, sed sua morte retinuerit
 quotquot in vobis Colonie erant necessarij. Rectè
 enim tenetis mentem meam in eo esse, & fuisse, vt
 nullo modo relinquamus Coloniam, id quod
 optimè coniectârunt Decanus, & facultas Theo-
 logiæ, Magistrum Petrum in aliquot futuros an-
 nos retinendum curantes. Id autem faciunt, quia
 cernunt carneis oculis vtilitatem inde prouentu-
 ram. Vtinam, atque vtinam ipsi quoque cerne-
 rent mentalibus oculis longè magis necessarium,
 & magis vtile, quod plures eiusdem animi, & spi-
 ritus, cuius est Magister Petrus, istic concreverent,
 & in vnum corpus coalescerent. Ego iam pridem
 posthabui studia vestra vtilitati multarum ani-
 marum, sciens multò melius proficere posse in a-
 liis Vniuersitatibus, quam Colonie vnumquem-
 que vestrum. Sed illa fuit virtus nimij amoris mei
 erga Coloniam, vt vos periculis exponerem, &
 mallet istic vos indoctos, quam alibi doctissi-
 mos. Vtinam verò hic zelus meus sit secundum
 prudentiam illius, qui filium suum vnigenitum
 dedit

*Fabri erga
 Coloniam in-
 signe studi-
 um.*